
36

LITERÆ PROCESSUS
SSmi Domini Nostri
CLEMENTIS
PAPÆ XII.

Quibus excommunicatur Joseph Ragotzius quon. Francisci Filius, ejusque complices, & fautores ob fœdus initum cum Turcarum Tyranno contra CAROLUM Sextum Romanorum Regem in Imperatorem electum, & Hispaniarum Regem Catholicum diversis pactis, & conditionibus impiis, injustis, & Christianæ Religioni, & publicæ utilitati perniciosis.


ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

cu
de
A
to
ro
ex
fi
ac
m
Fi
A
ft
n
no
go
ca
po
qu
ad
ro
lic
va
fo
qu
m
ac
pa

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei Memoriam.

ROMANUS PONTIFEX in eminenti militantis Ecclesiæ specula super Gentes, & Regna constitutus, ut Vices Christi Domini gerens in terris, Dominicas oves in persona B.Petri sibi commendatas pascat, custodiat, & defendat, meritò ad ædificationem Fidelium, & Infidelium extirpationem vires omnes Apostolici vigoris debet intendere, & contra foventes Turcarum perfidiam justæ ultionis gladium exercere, & supremæ potestatis divinitus sibi traditæ exercere severitatem.

Sane gravi animi nostri dolore ex plurimorum fide dignorum relatione, ac fama, & voce publica ad aures nostras pervenit, ac deinde etiam per legitimas, & certas probationes ex inquisitione à dilecto Filio Prospero Columna Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore jussu, & mandato nostro desuper habita per modum notorii facti permanentis constitit, quod cum inter carissimum Filium nostrum Carolum Romanorum, & Hispaniarum Regem Catholicum in Imperatorem electum, & Turcarum gentem Christi Crucis inimicam magnum, & periculosum bellum exortum esset; Joseph Ragotzius quondam Francisci Filius in reprobum sensum datus adversus Christianam Religionem, & præfatum Carolum Regem in Imperatorem electum iniqua moliens consilia aggrediendi, atque invadendi Transilvaniæ Principatum, & Hungariæ Regnum scelestum fœdus cum Turcarum Tyranno inivit diversis iniquis pactis, modis, ac conditionibus, inter quæ potissimum quod posteaquam ipse dicta Regna, Provincias, ac terras armis, ac viribus ab eo subministratis occupasset, arces, ac loca cum territoriis, & pertinentiis

ſuis vi, & armis capta, ſeu recepta, quæ Ottomanico Imperio convenire judicarentur, in Turcarum Tyrannico dominio, & poteſtate remanerent; atque inſuper quod tam ipſe, quam ejus Succeſſores omnes in futurum perpetuo forent cum eodem Turcarum Tyranno conjuncti, eique ſubjecti, & omnium ejus inimicorum inimici, & quoties opus fuerit ob bellum motum, vel quamcumque aliam cauſam, & occaſionem non ſolùm in præfatis Tranſilvaniæ Principatu, & Hungariæ Regno propriis ſumptibus milites conſcribere, & ingentes exercitus armare ad perfidis Chriſtiani nominis hoſtibus opem, atque auxilium ferendum, eorumque impiæ inſerviendum voluntati deberent, ſed etiam Turcarum copias ad octuoginta hominum millia in prænominatis Regnis, ac Terris recipere, ſuiſque impenſis alere, ac ſuſtinere, donec, & quouſque belli eventus, & indigentia exigeret, additis prætereà aliis conventionibus, promiſſionibus, & obligationibus impiis, injuſtis, Chriſtiano nomini injurioſis, & ſaluti Animarum, & Chriſtianorum Dominiis, ac Terris pernicioſis.

Cum autem hæc, & alia hujuſmodi apud omnes nationes manifeſta, & notoria ſint, & graviſſimo quamplurimorum teſtimonio, ità comprobata, ut nullus omninò locus excuſationi, defenſioni, aut tergiverſationi relinquatur; Nos, quorum eſt pro Summi Apoſtolatus injuncto officio ſaluti Animarum, & Chriſtianorum Regnorum conſervationi providere, nolentes tàm impia, atque enormia facta, & delicta cum gravi eorumdem Chriſtifidelium ſcandalo impunita præterire; atque etiam Chriſtianorum armis contra communem hoſtem promovendis, & prædicti Caroli Regis in beneficium Chriſtianæ Religionis laudabilibus fovendis conatibus noſtros, & Apoſtolicæ Sedis favores, & operam efficaciter eo meliori modo, quo poſſumus, Deo adjutore, dare intendentes, habita prius cum nonnul-

lis

lis Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus consultatione, & deliberatione matura, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, licet contra similia perpatrantes jampridem sit per generalium Conciliorum constitutiones, & processus Apostolicos nostrorum Prædecessorum, atque etiam nostros, præsertim quotannis die in Cœna Domini publicari solitos multipliciter provisum, tamen de novo excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, authoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac nostra Josephum Ragotzium quondam Francisci Filium, atque omnes alios, & singulos suos complices, adhærentes, fautores, consultores, & sequaces cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, dignitatis, vel conditionis existant, qui in hujusmodi tam execrabili re, auxilium, consilium vel favorem dederint, vel daturi sint.

Omnibus autem Christifidelibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in Cœna Domini, aliisque pœnis in Apostolicis Constitutionibus contentis prohibemus, atque interdicimus, ne ullum cum eo, ejusque complicibus, & sequacibus commercium, negotium, tractatum, conversationem, & communionem habeant, & præcipuè ne ulla ad eos non secus atque ad infideles arma, equos, lignamina, victualia, & bellica instrumenta deferant, seu deferri, aut conduci facere, vel delata per illos recipere, aut talia facientibus auxilium, consilium, favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quovis quæsito colore per se vel alium, seu alios quoquo modo præstare præsumant, sed tanquam excommunicatos, interdictos, privatos, maledictos, & damnatos, & publicos fidei hostes omninò abhorreant: Habeat enim ipse perditionis filius, ejusque Socii, & gregales partem cum impiis, quibus cum fœderatus est: sit à Christianorum consortio longè semotus, qui eorum exitium perfido consilio

ma-

machinatus est: sit à Dei Ecclesia perpetuò extorri & alienus, qui in ejus perniciem consensit, & con ravit. Itaque Venerabilibus Fratribus nostris I triarchis, Archiepiscopis, Episcopis, nec non di ctis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, De nis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebani Rectoribus, aliisque Ecclesiarum, & Monaster rum Prælatis, ipsorumque Vicegerentibus, Ca tulis quoque, & Conventibus Ecclesiarum, & M nasteriorum, cæterisque personis Ecclesiasticis S cularibus, & Regularibus ordinum quorumcumq præsertim in Regno Hungariæ, & Principatu Tra silvaniæ, aliisque Regnis, Provinciis, Terris, locis finitimis, & conterminis constitutis in virtu S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, qua nus ipsi, ac eorum singuli, si, & post quàm vigo præsentium desuper requisiti fuerint, præfatum J sephum Ragotzium, omnesque ejus complices, fa tores, & sequaces servatis solitis cæremoniis, & E clesiasticis ritibus excommunicatos publicè nu tient, & ab aliis nuntiari, ac ab omnibus evitari ciant, & mandent, donec dictus Ragotzius, eju que Socii, & complices ad cor reversi, & ab impi rum societate, & consuetudine recedentes de patr tis, & commissis condignam pœnitentiam agente Nobis dumtaxat, excepto tamen mortis articul vel ab aliis,quibus id specialiter injunxerimus, abs lutionis meruerint beneficium obtinere.

Interea ne quis eorum, quos præmissa conce nunt, ignorantiam præsentium literarum, & in contentorum prætendere valeant, literas ipsas (quibus quatenus opus sit, omnes, & singulos tà juris, quàm facti etiam solemnitatum, & citationu omissarum defectus propter notorietatem facti auct ritate, scientia, & potestatis plenitudine similib supplemus) seù earum exempla ad valvas Eccles Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæqne genera

in

in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari volumus, decernentes quod earumdem publicatio literarum ſic facta Joſephum Ragotzium, ejuſque complices, fautores, adhærentes, Conſultores, & ſequaces, omneſque alios, & ſingulos, quos literæ ipſæ quomodolibet concernunt, perinde arctent, atque afficiant, ac ſi unicuique eorum literæ ipſæ perſonaliter intimatæ, & lectæ fuiſſent, cum non ſit veriſimile, quod ea, quæ tàm patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Cæterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ pronunciationis, ſententiæ, declarationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo octavo Nonis Septembris Pontificatus noſtri Annò Nono.

A. Card Pro-Datarius. Pro D. Card. Paſſioneo.

VISA de CURIA N. Antonellus. C. Amatus.

Loco ✱ Plumbi. J. B Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo octavo, Indictione ſecunda, die verò quinta Septemb, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris, & D.N.D. CLEMENTI, Divina Providentia Papæ XII. Anno nono, ſupraſcriptæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Ioannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis dimiſſis copiis, ut moris eſt, per me Bandinum Cheti SS. D. N. Papæ Curſorem.

Dominicus de Martinis Mag. Curſorum.

